44

Stantibus &c.

Dub. *An ſit ſtandum, vel recedendum à Deciſis in caſu &c.*

Reu. Pater. QVamuis noſtra imbecillitas temporum anguſtijs perterrita maiorem expeteret dilationem ad ſatisfaciendum Deciſioni emanatæ ab hoc Supremo Senatu; attamen quià RR.PP.placuit intra breues limites repropoſitionem cauſæ iniungere, idcircò eo, quo decet, obſequio excipientes mandata Rotalia, hanc arduam Prouinciam aggredi non dubitauimus, & exponere Iura pro Parochiali Eccleſia ſuadentia receſſum à deciſis.

Reaſſumentes itaque ſingularitèr omnia in contrario voto deducta; illud orditur à regula incontrouertibilitèr noſtrę Eccleſiæ aſſiſtenti, quòd omnes Chriſti Fideles intra limites Parochiæ decedentes, in ea ſint ſepelliendi iuxtà Pontificias ſanctiones relatas in §. *Nonnulla*; ex quibus ſubnectitur emanare æquè claram limitationem, quòd is, qui habet ſepulcrum maiorum, vel ſibi particulare elegit, aut ex aliquo ſpeciali titulo deferendus eſt ad propriam Eccleſiam, eximitur à lege Parochiali; fortiùs quandò nulla ſit contentio de quarta, quæ Parochiæ debetur in recompenſationem laborum, ſed de ſola ſepultura.

Proùt verò contraria Deciſio admittit regulam fauore Parochiæ ineuitabilem, paritèr admittit Parochia laudatas limitationes, quarum duæ nempè habentium, vel eligentium ſepulturam tamquam extraneæ à noſtro caſu omittuntur, & pesfigitur in examine tertiæ, ſcilicèt eorum, qui ex aliquo ſpeciali titulo dicuntur habere propriam Eccleſiam, vt de Epiſcopo, Parocho, Canonico, Beneficiato, & Vidua tradunt DD. cumulati *in* §. *Prædictæ duæ*, quibus à pari, imò à maioritate rationis autumarunt Illuſtriſſimi PP. comparendum Cardinalem habentem Titulum, ideòque ipſo decedente abſque electione ſepulturæ Ius Eccleſiæ Titularis potentiùs eſſe altero Parochialis pro vindicando illius cadauere.

Fas tamen ſit conſtantèr inſiſtere, quòd illatio non procedit à pari, multòque minùs à maioritate rationis; ad quod aſſequendum opus omninò eſt cauſam cognoſcere, ex qua Epiſcopus, Parochus, Canonicus, & Beneficiatus in ſuis Eccleſijs, ac Vidua in ſepulcro Viri tumulentur; ſi etenim eadem ratio non concurrat in Cardinali Titulari, argumentum erit incongruum, nec ex eo antecedente emerget prætenſum conſequens ordinatum ad paritatem, vel maioritatem Iuris ſepulturæ.

Ordiendo ab Epiſcopo; ille ſepellitur in ſua Eccleſia Cathedrali, non quia habeat Dignitatem, & iuriſdictionem Epiſcopalem, ſed qui à habeat Ordinem, cui ſunt duò intrinſecè, & quidditatiuè annexa, nempè coniugium cum ſua Eccleſia, & ibidem neceſſaria reſidentia, quæ de per ſe, principalitèr, & independentèr à Iuriſdictione, ac præeminentia important neceſſitatem ſepulturæ, vt reddentes cauſam propriæ Sententiæ vno ore concordant DD. in Deciſione relati nempè *Petr. de Vbald. de Canon. Epiſc. cap. 9. num. 32.* ibi= *ſepellientur in eorum Eccleſijs Cathedralibus, quia ibi cenſentur habere domicilium cum teneantur ibi ad continuam reſidentiam, cum etiam ibi audiant Diuina, & percipiant Eccleſiaſtica Sacramenta* = *Marchet. de Vicar. Cap. tit. 38. de ſepult. §. 2. num. 69.*, vbi inquit Epiſcopum eſſe ſepelliendum in Cathedrali, vt Iuris eſt, & allegat *Vbald. & Medic.*, qui referunt eamdem rationem coniugij, & reſidentiæ, *Ventrigl. in prax. for. Eccleſ. adnot. 52. §. Vnico verſic. reſpondeo* ibi = Epiſcopos, Canonicos, Rectores, & alios habentes Eccleſias *cùm onere reſidendi, quià ibi cenſentur habere domicilium vbi continuè reſidere tenentur* ſepelliendos eſſe in ſepulturis earum Eccleſiarum, & idem tradunt *Sebaſt. dè Medic. de ſepult. part. prima quæſt. 7. num. 6.* ibi = Epiſcopi decedentes non electa ſepultura ſepellientur in eorum Eccleſijs Cathedralibus, *quia ibi cenſentur habere domicilium cum teneantur ibi continuè reſidere* = *Lauor. var. elucubr. tit. 2. cap. 11. num. 51.* Epiſcopi ſepellientur in eorum Eccleſijs Cathedralibus, *quia ibi cenſentur habere domicilium cum ibi teneantur continuè reſidere* = *Amonſtaz. de cauſ. pijs lib. 6. de funer. cap. 8. num. 64.* = Epiſcopi ſepellientur in Cathedrali; *ratio enim eſt quia ibi videntur habere domicilium vbi reſidere tenentur, & num. 60.* ibi = id enim congruit, *vt quis eſt ſponſus Cathedralis in ea ſepelliatur* = *Frances de Eccleſ. Cathedr. cap. 17. num. 8.* = hinc eſt quod Epiſcopus in ſua debet ſepelliri Cathedrali *propter vinculum matrimonij ſpiritualis, quo ipſi coniungitur*.

Eadem prorsùs ratio coniugij, & reſidentiæ, quæ regulat ſepulturam Epiſcopi, regulat paritèr ſepulturam Rectoris, ſiuè Parochi idem *Petr. de Vbal. de Canon. Paroch. cap. 7. num. 37.* = ſepellitur in illa Eccleſia *quia ibi cenſetur habere domicilium* = *Antonell. de regim. Eccleſ. lib. primo cap. 12. num. 13.* = *ita etiam Rector Eccleſiæ Curatæ in eadem ſepelliri debet*, & quamuis ipſe nullam alleget rationem, tamen per dictionem = *ita etiam* continuat antecedentem cauſam reſidentiæ allatam de Epiſcopo, *Marchet. de ſepult. tit. 38. num. 47.* = debet ſepelliri in Eccleſia in qua reſidet, *Ventrigl. in prax. Eccleſ. tom. primo adnot. 52. §. Vnico num. 24.* = Rectores, & alios habentes Eccleſias cum onere reſidendi, *quia ibi cenſentur habere domilium, vbi continuè reſidere tenentur* ſepelliendos in ſepulturis earum Eccleſiarum *Medic. de ſepult. d. par. prima quæſt. 7.*

num. 9.

num. 9. = sepellietur in Ecclesia cuius curam gessit, *quia ibi censeatur habere domicilium vbi continuè residere tenetur.*

Canonicis verò, & Beneficiatis duæ concurrunt causæ sepulturæ, altera est residentiæ, & Coniugij *Ventrigl. in prax. for. Eccles. adnot.* 52. §. *Vnico vers. respondeo* ibi = Canonicos, & alios habentes Ecclesias cum onere residendi, *quia ibi censentur habere domicilium vbi continuè residere tenentur* sepelliendos esse in sepulturis earum Ecclesiarum *Bellett. disquisit. Cler. par. prima tit. de Cleric. debit.* §. *3. num. 9.* = laudabilius tamen esset si Clericus sepelliretur in sua Ecclesia, in qua erat Beneficiatus, *cum eidem alligatus fuerit matrimonio spirituali* = *Frances de Eccles. Cathedr. d. cap.* 17. *num.* 17. = *quia Clericus ita est coniunctus cum sua Ecclesia, vt sit cum illa cor vnum, & anima vna, qua etiam ratione omnes Beneficiati in eadem Ecclesia sepelliendi sunt.*

Altera, & potior est, quia Canonici, & Beneficiati habent in suis Ecclesijs certum, & determinatum sepulcrum; quod proindè dici debet sepulcrum maiorum respectu Ordinis, quo illi sunt insigniti, vndè iure merito debent ibidem tumulari; & hoc adeò est verum, vt si proprium sepulcrum in aliqua Ecclesia non extet, tunc subintret Parochia ad tumulandum eorum Cadauera in puncto *Marcb. de sepult. tit.* 38. §. 22. *num.* 46. ibi = *quod si in Cathedrali non adsit sepulcrum proprium Canonicorum, nec Canonicus elegerit sepulturam, vel habuerit sepulturam maiorum non tumulatur in Cathedrali, sed in Parochiali*, & sequitur *Amonstaz. de caus. pijs lib.* 6. *de funerib. cap.* 8. *num.* 75.

Quò deniquè ad Viduam ratio est apertissima tàm residentiæ, quàm Coniugij; Vxor quippè, quæ est cum Viro vna, & eadem caro in eadem Domo debet cohabitare, vndè iniustum censetur, vt quæ Viri domicilium secuta est, eodem tumulo non contegatur, vt arguendo ab huiusmodi necessaria cohabitatione *D. Hieroym. apud Gratian. in ca. Ebron.* 13. *quæst.* 2., & concordat *cap. vnaquæque* 13. *quia vnaquæque Mulier sequatur Virum suum siuè in vita, siuè in morte*; *Zasius in l. penult. ff. de iurisdict.*, *Sebast. Medic. de sepult. d. quæst.* 7. *nu.* 26., & alij communitèr.

Callemus igitur ex vnanimi sensu omnium DD. de hac materia loquentium, quod exemptio Episcopi, Parochi, Canonici, Beneficiati, & Viduæ fundatur in necessitate residentiæ, & qualitate Coniugij cum altera Ecclesia; nec aliquis inquit, ideò illos esse ibidem sepelliendos, quia habeant Dignitatem; sed quia ratione qualitatis sunt cor vnum, & anima vna cum Ecclesia, vbi eisdem est præscripta à Deo residentia, audiunt Diuina, & percipiunt Sacramenta, quæ sunt causatiua sepulturæ extrà Parochiam; ideoque strictè arguendo videre est, an eædem qualitates militent in Cardinali Titulari, vt possit dici versari in casu limitationis regulæ Parochiæ fauorabilis.

Nè antem in illatione procedatur cum fallacia, supplicantur Illustrissimi PP. expendere in S. R. E. Cardinalibus dupplicem qualitatem, alteram scilicèt Cardinalitiam, & alteram Titularem; q... ad Cardinalitiam certissimi Iuris est illam non suffragari ad eximendum Cardinalem à vinculo legis vniuersalis, *Io: Monach. in extrau. prima super Gloss. in verbo Clericus de sent. ex commun.*, & alij quos refert, & sequitur *Rota coram Ottobon. decis. 257. num. 1. iuncto num. 12.*, potissimè quando agatur de Iuribus Parochiæ, cui omnes esse indistinctè subiectos quamuis Regia Dignitate præfulgeant optimè firmant *Abb. Panorm. in cap. omnes num. 3. de maior., & obed.*, *Lotter. de re benef. lib. primo quæst. 30. num. 39.*, & in præcisis terminis sepulturæ Cardinalium *Passerin. de stat. Hom. quæst. 187. artic. 4. num. 32.*, *& Bonacin. de contract. disput. 3. quæst. 32. part. 3. sub num. 6. §. Nono Cardinalem*.

Sola itaque Dignitas Cardinalitia est inefficax ad limitandum nostrum Parochiale Ius, à quo in Vrbe, nec sunt exempti Archiepiscopi, Episcopi, cæterique Prælati, quos indistinctè in Parochis, vbi degunt, quotidiè videmus tumulari, & propterea tota vis pretensæ limitationis fundari potest in altera qualitate Titulari, ac si ista æquiparetur qualitati Episcopi, aliorumque, quos sumus in confesso esse exemptos à lege Parochiæ.

Ad assequendam disparitatem quamuis contraria Decis. omiserit altius materiam ordiri; nihilominùs causæ opportunitas nos cogit inspicere tempora primitiuæ Ecclesiæ, quibus Euaristus Papa anno centesimo ab Incarnatione Regiones Vrbis in Titulos, & Parochias diuisit, ac in eis singulos Presbyteros, vt Sacramenta ministrarent, Populumque edocerent primario instituit; cumque Higinus in quolibet Titulo plures Presbyteros ordinauerit, ille qui cæteris præerat, Presbyter Cardinalis fuit nuncupatus, & indè qualitas Cardinalitia suam duxit originem, vt referunt *Panuin. de sept. EcclES. cap. 2.*, *Lelius Zecch. lib. 9. de Repub. cap. 28. nu. 1.* eisdemque Presbyteris Cardinalibus Dionysius curam Cæmeteriorum adiunxit *Cassan. in Catalog. glor. Mund. 4. par. consider. 12. Cobell. in notit. Card. cap. 6.*, & alijs ibidem laudati.

Hinc benè desumitur remotioribus seculis Cardinales fuisse veros Parochos, quià ministrabant Sacramenta, Populum edocebant, Fideles tumulabant, & cætera omnia explebant, quæ hodie per Parochos explentur, ideoque dubitari non potest illis temporibus fuisse addictos Parochiæ, seù Titulo, itaut tamquam eiusdem Sponsi tenerentur ibidem residere.

Aduenientibus posteà felicioribus sæculis Catholicæ Ecclesiæ, & Hierarchia Ecclesiastica ad Eminentiæ gradum euecta, Summi Pontifices commissis Parochiarum Curis cæteris Presbyteris, auocarunt illos Seniores, & Cardinales ad sibi assistendum in regimine vniuersalis Ecclesiæ, & illud spirituale Coniugium ab anteà in-

fixum

fixum Presbytero Cardinali, fuit tarnslatum in alium Sacerdotem, & paritèr extitit sublata Cardinalibus necessitas residendi ijdemq; dumtaxat moniti fuerunt residere apud Romanum Pontificem, tamquam ipsius Consiliarij, *Germon. de Indult.*, *Cardin. §. Tibi quoad vixeris num. primo*, *Borell. in sum. decis. tit. 10. n. 8.*, *Lotter. de re benef. lib. primo quæst. 8. num. 49.*, *Barbos. de potest. Episc. 3. par. alleg. 53. num. 12.*

Amplius fuerunt etiam variati illi limites Parochiarum Presbyteris Cardinalibus iam diù destinati, & plures adauctæ Parochiæ intrà quas fuerunt comprehensæ Ecclesiæ iam primitùs in Titulum, & Parochiam erectæ; & quamuis illarum plures retinuerint simul Titulum, & Parochiam, alijs tamen fuit Parochialitas sublata, eaque concessa Ecclesijs non habentibus Titulum, vt demonstrat euidentia facti non indigens vlteriori probatione.

Si igitur ordo Titulorum, & Parochiarum fuit penitùs variatus, manifestum est non posse fieri illationem à seculis retroactis ad hodierna tempora, & regulare Iura earumdem Ecclesiarum, proùt primitùs fuerunt constituta; quippè cum plures Tituli nullum amplius habeant districtum, vbi munera Parochialia exerceant, eaque in alijs Titulis adhuc districtum habentibus exerceantur à Parocho, qui nullam habet dependentiam à Cardinali Titulari, & Cardinales ad maiora euocati non cogantur amplius residere, prout tenentur Parochi, ac demùm qualitàs Coniugij cum Ecclesia fuerit in eosdem Parochos translata, relicto dumtaxat Cardinalibus Iure honorifico, vtique ab eo non potest inferri argumentum ad illa Iura, quæ respiciunt ordinem, & quæ ratione eiusdem ordinis sunt causatiua sepulturæ.

Neque aliqua vis fieri potest in Bullis desuper expediri solitis Cardinalibus Titularibus deprompetis ab exemplari Bullæ Sixti V., qua ille Pontifex auxit Cardinalium numerum, eisdemque proprias Ecclesias destinauit; Siquidem in Bulla non iniungitur residentia in Titulis, sed Cardinales monentur residere in Vrbe, vt tamquam Cooperatores in Vniuersæ Reipublicæ Christianæ administratione Papæ assistant, & proindè, vltra quod talis monitio non importat necessitatem, sed Consilium; insuper respicit solam residentiam in Vrbe, quæ nihil contribuere valet Ecclesiæ Titulari quo ad Ius sepulturæ fundatum in actuali residentia intrà limites propriæ Ecclesiæ, vel in habituali ob præcisam necessitatem residendi.

Absque eo quod suffragetur responsio data in contraria Decisione §. *Idem respondetur*; nempè quod Tituli habere non possint propriam habitationem, nèc vel ex loci distantia, vel ex qualitate aeris permittant comodam, & tutam residentiam; vndè desumi prętenditur, quod cum necessitas residendi emergat ex *cap. ex gestis de Cleric. non resid.*, nihil obstet, quod talis residentia ex prouida

 volun-

voluntate Summorum Pontificum immutata fuerit, quia ad effectum sepulturæ sufficiat residentia etiam præsumpta, & habitualis.

Huiusmodi namque discursùs benè procederet quatenus in Cardinali probari posset necessitas residendi, quo casu etiam si non resideret; censeretur tamen habitualitèr residere: sed quando fuit sublata residentia non ex defectu congruæ habitationis, sed ob immutatum ordinem Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & translatum coniugium cum Ecclesijs Parochialibus in alterum Sacerdotem, vtique cessante coniugio cui est infixa necessitas residendi, cessat etiam habitualis residentia, quæ fundatur in d. necessitate residendi.

Et quamuis *in d. cap. ex gestis* habeatur Cardinalis Anastasius depositus ob neglectam residentiam; reflecti tamen oportet, quod de eo tempore Cardinales erant adhuc verè, & realitèr Parochi, & Anastasius fuit depositus non ex quo deseruerit Titulum, sed ex quo deseruerit Parochiam, & Populum sibi commissum, ac per quinquennium in extraneis regionibus permanserit, vt benè *Germon. lib. primo animaduers. cap.* 17., & sequitur *Gonzalez ad dict. cap. ex gestis num. 6. in fine*; ideoque *Tex.* non importat determinatam residentiam in Titulo tamquam Titulo, sed tamquam Parochia cui Cardinalis verè, & realitèr Parochus reperiebatur addictus.

Progreditur indè Bulla Sixtina ad historicam relationem, quod ab antiquo prædictæ Ecclesiæ quasi quædam cuiusque propriæ Diœceses reputabantur, quodque cum suis Clero, & Populo, ac quasi Episcopali Iurisdictione gerendæ, & administrandæ committebantur; vndè motus Summus Pontifex dictarum Ecclesiarum curam, & administrationem Titularibus committit; Sec sicuti ex cæteris verbis Bullæ non oritur necessitas residendi in Titulis, paritèr ex actibus ibidem exercendis per Cardinales nullum desumi potest Coniugium spirituale cum illis Ecclesijs, quippè Pontifex enarrando primæuum statum earumdem Ecclesirum quas iam est in comperto fuisse Parochias cum suis Cclero, & Populo, fatetur tales amplius non esse, & quamuis earum administrationem Titularibus iniungat; non exindè ipsi constituuntur Episcopi, quia talitèr haberent iurisdictionem Episcopalem; nec paritèr efficiuntur Parochi, quia in Titulis, qui adhuc in præsenti habent annexam Parochialitatem, adsunt Parochi omninò independentes à Cardinali Titulari, ideòque illa Cura, & Administratio commissa Titulari importat simplicem Iurisdictionem præeminentialem, quæ nihil commune habet cum coniugio, & proindè DD. benè inferunt Cardinalem non esse Sponsum Ecclesiæ, vt videre est penès *Calderin. cons. primo num. 2. de translat. Prælat.*, *Passerin. de elect. Canon. cap. 24. de postulat. quæst. 12. num. 37.*, *Lotter. de re benefic. lib. primo quæst. 8. num. 36.*, *Fagnan. in cap. Hisque numero*

ro 26. de maior., & obed., Rota decisione 233. numero 19. par. prima diuers.

Indè patet, quod non benè aliqui autumauerint Titulares habere iurisdictionem Episcopalem in Titulis; contrarium namque edocet ad oculum dicta Bulla, vbi enunciatur Iurisdictio quasi Episcopalis, non Episcopalis, quæ si resideret in Titulari, vtique ipse haberet plenariam Iurisdictionem etiam in Parochum, & Populum Parochiæ annexum, qui tamen ex facti euidentia Titulari non subordinantur, quin imò Parochus exercet Iurisdictionem in illis Titulis intra limites suæ Parochiæ comprehensis; qua propter ipse met *Card. Albit.* propriæ Dignitatis accerrimus Propugnator fateri non duditauit Iurisdictionem Cardinalium non esse Episcopalem *in sua discept. prima num.* 35., & concordant *Cardin. Tolet. in sum. lib. primo cap. 29. sub num. 5., Baldell. Theol. moral. to.2. de fid., & in fid. lib. 2. disput. 48. num. 24., Nicol.lucubr.lib.primo tit.23.sub num.6.vers. discusso articulo.*

Neque qualitati Episcopali correspondent obseruantia, & Iurisdictio, vt supponit contraria Decisio §. *Et vtrique*; Siquidem in Episcopo duo debent considerari, alterum, quod est illius essentiale, & alterum accidentale; essentiale stat in ipso ordine, cuius ratione Episcopus contrahit coniugium cum Ecclesia, & tale coniugium est quidditas, ac præcisa forma Episcopatus; accidentale vero stat in actibus Iurisdictionalibus, qui se habent per accidens ad qualitatem Episcopalem, & quamuis Episcopus illos non exerceat, seù non possit exercere, est tamen verè Episcopus, quia desponsatus Ecclesiæ; non sic autem se habet coniugium, quia sine illo nemo est Episcopus, imò eo ipso quod est sponsus dicitur Episcopus, & talis fit per immissionem anuli, nempè per contractionem coniugij; ac propterea non est bona illatio, plures actus Iurisdictionales correspondent actibus solitis per Episcopos exerceri, ergo qui dictos actus exercet habet qualitatem Episcopalẽ, quę vt diximus, non à iurisdictione, sed ab ordine, & coniugio omninò dependet.

Videtur autèm insubsistens ratiocinium contrariæ decis. §. *Nam pro remotione*, nempè quod pro causa Sepulturæ consideretur Dignitas, ac Sedes Episcopalis, ex qua deindè oritur, quòd Episcopus dicatur Sponsus suæ Ecclesiæ, & teneatur residere, ac si qualitas Sponsi veniat in sequelam Dignitatis *Episcopalis*, nec sit principalitèr consideranda, prout sola Dignitas considerata fuit in Cardinali in itinere decedente antequàm ad Vrbem perueniret, qui postposita Parochia, in qua decessit, sepelliendus est in Ecclesia Maiori Loci obitus iuxtà Sententiam *Murgæ* in contrarium laudati.

Absolutissimum namque est, quòd pro causa Sepulturæ non potest

considerari Dignitas,& Sedes Episcopalis,sed præcisè Coniugium Episcopi cum sua Ecclesia, quod non venit in sequelam Dignitatis, sed est ipsa quidditas, & formale constitutiuum Ordinis Episcopalis; imò ex ipso Coniugio sequitur Dignitas, quià tunc quis sit Episcopus quando fit Sponsus, & antè Consecrationem, scilicèt antè consumationem Coniugij non dicitur Episcopus *Tex. rotundus in c.sicut 8.dixtin.40.Io.Bertachin.de Episc.4. p. 2. princip. tit. de eff. confirm.* & rursus *de effect. Consecr. vbique num.1. Cellot. de hierarch. lib.13. cap.17, Petrus Bollo in Æconom. class. 3. cap.1. §.2. Cæsar de Ecclesiast. q.4. proœm. §.3. & prima par. disput. 6. §.1. & 6.*, & ideò si Ius Sepulturæ pendet à qualitate Episcopali, pendere dicitur à qualitate Coniugij, quod est illius constitutiuum, vndè DD. benè sentiunt non quidèm *Dignitatem*, sed Coniugium esse causatiuum Sepulturæ Episcopi in suis Ecclesijs, in puncto *Amonstaz. de caus. pijs lib.6. de funer. cap.8. nu.65. congruit vt qui est Sponsus Cathedralis in ea sepelliatur = Frances. de Eccles. Cathedr. cap.17. num.8.=* Episcopus in sua debet sepelliri Cathedrali *propter vinculum matrimonij spiritualis,& nu.17. quia ità est coniunctus cum sua Ecclesia, vt sit cum illa cor vnum, & anima vna = Bellet. disquis. Cleric. part.1.§.3. num.9. =* sepellitur in sua Ecclesia, *cum eidem alligatus fuerit matrimonio spirituali.*

Nec contrarium suadet ea animaduersio, quòd si Cardinalis in itinere decedat sit sepelliendus in Cathedrali ratione Dignitatis, siquidèm in hac parte *Decis.* omissa qualitate Titulari habet recursum ad *Dignitatem* Cardinalitiam, quasi istà eximat à lege *Parochiali*, quando tamen abundè probauimus esse ad huiusmodi effectum penitùs inefficacem.

Ampliùs non potest fieri illatio à Sepultura Cardinalis in itinere decedentis ad Sepulturam in Vrbe decernendam Cardinali ibidem defuncto; quippè etiam Episcopus in itinere decedens sepellitur in Ecclesia Maiori loci obitus, & tamen in Vrbe Episcopi sepelliuntur inParochijs,in quibus deceduut,ex quo dignoscitur,quòd Sepultura in Cathedrali non datur Cardinali, & Episcopo ratione eorum Dignitatis, sed quià Cathedralis dicitur Parochia Viatorum *Gloss. in can. in nostra de Sepult. Hostien. & Ioan. Andr. in cap.1. eod. tit. Lauor. var.lucubr. tit.2. cap. 11. num. 144. Barbos. de* Iur.*Eccles. lib.2. cap.10. num.35. Guttier. can. qu; cap.27. numer.24.*, *& Pignatell. consult.canon. tom.1. consult.145. per tot.*, vbi *num.3.* refert resolutionem Sac.Congreg.Concil.

Defectus verò Coniugij in Cardinalibus adstrui non valet ex eo, quòd ipsi sint membra vniuersalis Ecclesiæ, & propterea alteri Ecclesiæ desponsari non possit; siquidem DD. per nos relati, solùm inquiunt Cardinales ratione qualitatis Cardinalitiæ non esse spōsos illarum Ecclesiarum, quas habuerunt in comendam; cum cæte-

teroquin quando sunt prouisi de Episcopatu sint veri sponsi, prout erat Emus Pallauicinus Episcopus Ecclesię Auximanæ, ideòque defectus Coniugij considerari debet respectu Tituli, non autèm respectu Dignitatis Cardinalitiæ, quæ non excludit Coniugium cum Ecclesia, cuius Cardinalis sit verè Episcopus.

Hucusque admittit Decis. defectum Coniugij, sed posteà est sibi contraria, dum conatur adstruere idem Coniugium, ex quo Titulus vacare dicatur per obitum Titularis, ac si talis vacatio importet vinculi dissolutionem; verùm vacatio Tituli non infert precedens vinculum Coniugij, quià est vacatio minus propriè dicta, prout eodem modo vacare dicuntur cætera omnia Officia alicui comendata, imò si extaret ass. coniugium Ecclesia non diceretur vacans, sed Vidua; prout talis dicitur defuncto Episcopo ad latè tradita per *Gonzalez in cap. Ne pro defectu num. 2. de elect.* vbi innumeri concordantes.

Multoque minus coniugium desumi potest, ex quo vnicuique Cardinali proprius Titulus assignetur, nam id prouidè ordinauit *Sixtus V.*, cum cæteroquin anteà Cardinales plures Titulos haberent, & èconuerso plures Cardinales vnico titulo essent addicti, vt eruditè demonstrat *Bellarmin. tom. 1. lib. 1. de Cleric. c. 16. per tot.* vndè si plures erant vnico Titulo addicti indubitantèr non erant sponsi, cum vna Ecclesia plures sponsos habere non valeat, necècontrà vnus sponsus pluribus Ecclesijs possit copulari *cap. plerisq. de Offic. Ordinar. cap. cum non ignores de præben. capit. in Apicibus 7. quæst. 1. cap. sicut vna 22. qu. 2. Cupers. in Can. oportebat 79. distinct. tit. differentia etiam n. 5. fol. 261. Massobr. in prax. ad haben. conc. prælud. 1. n. 4. Adden. ad dec. 90. n. 26. cum seqq. p. 9. rec.*

Minus subsistit, quòd nonnulli DD. descendendo ad hoc particulare examen, ex hac potissima ratione teneant, quòd Cardinalis in Vrbe decedens sine electione Sepulturæ sit tumulandus in Titulo, & contrarium depræhenditur ex lectura; aliqui enim volunt de Iure Cardinales non esse sepelliendos in Titulis, sed in Ecclesia Lateranen: moti ab illa quidèm solidissima ratione, quòd cum fuerit illis sublata qualitas Parochialis, & simultaneè necessitas residendi in proprijs Parochijs, ijdemq; fuerint accersiti ad assistendū Romano Pontifici, proindè residere dicantur in Ecclesia, vbi Pontifex specialem Sedem maximi Episcopatus constituit *Murga de Sepultur. tract. 8. disquis. 2. sect. 2. dub. 7. conclus. 1. n. 1. Samuel. tract. 1. controu. 11. conclus. 5. n. 6. Dulph. de Sepult. cap. 4. n. 19. Sebast. Medic. eodem tit. par. 1. qu. 7. n. 3. Marchet. tit. 36. n. 100. Lauor var. elucubr. tom. 1. tit. 2. cap. 11. n. 47. Amonstaz de caus. pijs lib. 6. de Funer. cap. 8. n. 62.* vndè inanis videtur labor trutinandi dispositionem Iuris fauore Tituli, quando ijdemmet DD. in contrarium laudati fatentur pro absoluto Iuris dispositionem Titulo non assistere

Fixo hoc lapide, quòd dispositio Iuris non stet pro Ecclesia Titulari, vi-

videamus modo vnde tale Ius fuerit Titulo quæsitum, & *DD.* inquiunt fuisse quęsitum ex consuetudine, vt videre est apud *Murg.* *& Samuel. locis proximè relatis*; de d. tamen consuetudine illi non possunt efficacitèr deponere, quià alter est Hispanus, & alter Clusinus, ideòque nescio videre quis reuelauerit illis hujusmodi stylum, talitèr quod siccis verbis, nulloque superaddito ratiocinio, siuè relato exemplo de consuetudine nostrę Vrbis testari valeant.

Eoque magis minuitur ipsorum fides, quia alij *DD.* in Vrbe commorantes erubuerunt d. consuetudinem referre, quinimò tenent ad exclusionem Ecclesiæ Lateranen. Titularem esse tumulandum in Titulo, ducto argumento ab Episcopo, qui debet tumulari in Cathedrali, quià ibi censetur habere domicilium, vbi continuè residere tenetur, vt defendit *Cohell. de notit. Cardin. in cap. 16. priuil. 38. §. Verùm quia*, & verba Cohell transcripsit *Passerin. de stat; homin: quæst:187: art:4: num;32;*

Tota itaque vis illationis fit à Domicilio, quod coactè habet Episcopus in Cathedrali, quasi etiam Titulares haberent hanc necessitatem residendi, & proinde etiam si non residerent, adhuc tamen censerentur residere; Verum quià iam plene demõstrauimus, quod sublata Cardinalibus qualitate Parochiali, eaq: translata in alios Sacerdoses, cessauit spirituale Coniugium, & residentia, vtique per necessarium consequens dicendum est cessasse etiam in Titulis Ius Sepulturę, quæ pendet, vel ab actuali Residentia, vel ab habituali ob necessitatem residendi:

Opinio itaque istorum DD. non est fulcita solidissimis illis rationibus, quas supponit *Decis.*, *dum Murga*, *& Samuel* cum ceteris alijs concordan. fatentur Ius titulo non assistere, sed Ecclesiæ Lateranen., *Cohell.*, *& Passerin.* dicunt Ius Titulo assistere, sed faciunt illationem erroneam supponendo in Cardinali Titulari illam necessitatem residendi in Titulo, quæ est causatiua Sepulturæ Episcopi in sua Cathedrali! *Amonstaz.* verò, *& Card. Alban.* nec verbum faciunt de Sepultura in Titulis, vt patet ex lectura.

Benè cognito per Illustrifs. PP., quod DD. de consuetudine scribentes nullam fidem merebantur, & alij respondentes de Iure valde in Iure abherrarunt, voluerunt hanc arduam dirimere contentionem cum obseruantia, quam putarunt Titulo assistere enumerando exempla, seù verius attestationes Magistrorum Ceremoniarum, quibus tamquam de re ad proprium officium spęctante plurimùm videtur deferendum.

Verùm non erubescimus firmiter asserere, quod obseruantia faueat Parochiæ, eidemque pariter faueant attestationes Magistrorum Ceremoniarum, quod vt ad euidentiam demonstretur, percurramus exempla in contraria Decisione relata. Primum est illud Cardinalis Gualterij, cuius historiam descripsit Seruantius in suis Diarijs, vbi patefiçit propriam opinionem expressam Capitulo

ex-

expressam Capitulo Ecclesiæ S.Laurentij in Damaso Parochialis d. Cardinalis defuncti, nempe illi nullum Ius assistere, quo ad Sepulturam, quia Titularis non esset sepelliendus in Parochia, sed in Titulo; huiusmodi tamen gratuita descriptio in nihilo præiudicat Iuribus Parochiæ, quæ post auditum Oraculum Magistri Ceremoniarum, nec illi acquiescens voluit in Foro sua Iura experiri, & cor. Emo Vicario triangulari lite instructa inter d. Parochiã, & Eccl. S. Agnetis, cuius Card. Gualterius erat Protector, ac S. Eusebij, cuius erat Titularis iterũ atque iterũ institit Titulus prò cõsecutione Cadaueris, & emolumentorum, sed nihil potuit obtinere, vt ex Iuribus productis, & relatis *præsenti Summ. num.* 1., subinde vero repetita eadem instantia per Parochiam emanauit decretum illius fauore pro consignatione omnium emolumentorum *Summar. num.* 2., ideoque si post sententiam Magistri Ceremoniarum Titulus fuit reiectus, & Parochia iudicialiter obtinuit corruit fundamentum innixum Diarijs parum fideliter à Seruãtio exaratis.

Cessat itaque penitus in facto, quod Ecclesia Parochialis acquieuerit, nec fuerit consecuta Cadauer, ex qua acquiescentia contraria *Decis.* illius non Ius resultare autumauit: imò argumentum ad hominem retorquetur: si etenim titulus post repetitas instantias nihil potuit obtinere, & acquieuit decreto fauore Parochiæ emanato, vtique ex tali acquiescentia non ius tituli resultare est in comperto: & quamuis Parocchia non fuerit consecuta Cadauer quia annuit voluntati Eminentissimi Pamphilij exoptantis Cardinalem Protectorem in illa Ecclesia, cuius primum lapidem iecerat, tumulari; adhùc tamen ex iudicato fuit canonizatum illius, Ius dùm omnia emolumenta percepit, & tam illa quæ debentur ratione Parochiitalatis, quam alia quę debentur ratione funeris, siue iuris funerandi, vnde manifestum redditur quod Ius funeris non spectabat ad Titulum, qui in eo iudicio nihil potuit obtinere.

Conatur vlterius idem Seruantius destruere Ius Parochiæ, & in gratiã propriæ sententiæ refert consimile exemplum fuisse traditum *à Paris de Graff.* in morte, & sepultura Cardinalis de Rubeis, ac taliter fuisse statutum à Concilio Lateranen.; quod tamen Statutum præ manibus habetur, nec vllibi mentionem facit de huiusmodi decreto, quamuis præcisè tractet de Exequijs Cardinalium, ideoque oportet dicere, quod sit gratuita assertio eiusdem Seruantij, qui in suis Diarijs plura descripsit omninò insubsistentia.

Verùm in aliqua parte videtur excusabilis Seruantius, quia retroacto seculo etiam alter Magister Ceremoniarum fuit in eodem sensu; dum secuto obitu Cardinalis Sarnani de anno 1596. orta consimili lite inter Basilicam SS. Apostolorum Parochiam, & Ecclesiam S. Petri in Monte Aureo Titulum eiusdem Cardinalis defuncti, quidam Guidus Secundus Magister Ceremoniarum supposuit

in

in Ceremoniali Libro expresse caueri Cardinalem defunctum ab intestato in sua Ecclesia Titulari esse sepelliendum, vnde mori DD. Cardinales decreuerunt tradendum esse Corpus Ecclesiæ Titulari; quod tamen decretum non fuit executioni demandatum, quia alij Magistri Ceremoniarum fuerunt in contrario sensu, imò assertionem D. Guidi exprobarunt tamquam falsam, præsumptuosam, & temerariam, vt videre est ex particula Diarij *Summario num.3.* cuius non incongruum erit hic transcribere ea verba =*quod asseruit D.Guido in Ceremoniali libro caueri Cardinalem defunctum esse sepelliendum in sua Ecclesia Titulari adhuc non inueni, nec legi, nec etiam D. Paulus Collega* (qui erat primus Magister Ceremoniarum) *vndè dubito decretum DD. Cardinalium fore reuocandum, quia fundatum erat in Verbis D. Guidi, qui asseruit hoc caueri in Ceremoniali, quod non sine nostro imò potius eius dedecore erit, qui temeraria sua audacia, & præsumptione falsa asserit &c. & quod vere in Ceremoniali non cauetur, nec reperitur sine rubore caueri, & reperiri asserit &c.*

Videant igitur Illustrissimi PP. quod vsque de anno *1596.*, ijdem Magistri Ceremoniarum dixerunt nihil penitùs caueri in Ceremoniali quo ad Sepulturam Cardinalium in Titulis; & quamuis non fiat subindè mentio an Cardinalis Sarnanus fuerit tumulatus in Parochia, hoc tamèn plenè constat ex Fide Parochi relata *Summ. num.4.*, & proindè corruit tota vis, quæ poterat fieri in Ceremoniali, & Diarijs, quando habetur alter casus decisus in puncto prò Ecclesia Parochiali ad exclusionem Titularis.

Hinc patet quod nulla vis fieri debet in altero exemplo Cardinalis Vitellij, seù attestatione Cornelij Firmani nouissime extracta; licet etenim Cornelius Firmanus referat Cardinalem Vitellium fuisse translatum ad Ecclesiam S. Mariæ in Via Lata eius Titulum, ibidemque debuisse tumulari; attamen vltra quod, factis exactissimis diligentijs, non potuit reperiri nec in libris Parochiæ, neque in Ecclesia aliqua memoria huius Sepulchri, insuper quamuis facti veritas subsisteret, in nihilo debet præiudicare Parochiæ, quam nullibi constat fecisse aliquam Iudicialem instantiam prò consecutione illius Cadaueris; ideoque ex vnico exemplo non potest induci consuetudo, quæ essentialiter requirit partis contradictionem, fortius in subiecta hypothesi vbi habetur, quod post annos triginta eueniense alio consimili casu, & disputato articulo contrarium fuit sacitum, ideoque certo certius exempla Cardinalis Sarnani, & Cardinalis Gualterij præponderare debet alteri Cardinalis Vitellij, de quo fit mentio absque vlla contradictione Parochiæ.

Non minus itaque Ius, quam obseruantia assistunt Parochiæ, & obseruantia fortius roboratur ex duobus actibus inductiuis Iuris Sepulturæ, nempè ab Administratione Sacramentorum, & solutione

quartæ

Quartæ, quæ exercentur respectu Cardinalium defunctorum à Parochia, non autem à suis Ecclesijs Titularibus.

Ius Sepulturæ præcisè pendeat ab Administratione Sacramentorum est propositio irrefragabilis, quam vno oretuentur *DD. in cap.1. de Sepult. in 6. Antonell. de regim. Eccles. Episc. lib.1. cap.12. num.36.*, *Grat. discept.74. num. 74.*, *Marescot. var. resol. lib.2. cap.95. num.21. Sanchez de matrim. disput.23. nu.74. lib. 3. Marant. respon.21. num.21.*, *& 22. tom.4.*, *Barbos. de offic. Paroch. par.3. cap.26. num.24.*, *Pasqualig. qu. moral.154. numer.6.*, *Amonstaz. de caus. pijs lib.6. de funer. cap.7. num.19.*, *Frances. de Eccles. Cathedr. cap.17. num.178.*, *Trullench. de Iur. Paroch. cap. 9. dub.1. num.1.*, *Rota coram Mantica decis.366. num.2.*, *coram Seraphin. dec.1135.n.3. coram Priol. dec.365. n.3.*, *& dec.348.n.9. p.11. rec.*

Quod itidem pertinentia Quartæ importet necessariò annexum Ius sepelliendi, & quod quarta debeatur illi Ecclesiæ in qua quis de Iure debuerat sepelliri sanciuit *Concil. Ænahemense* temporibus Ioannis PP.XVII., & Henrici II. Angliæ celebratum ibi = *si corpus extrà suam Parochiam quis posuerit nihilominus pecuniæ illi Ecclesiæ, cui corpus famulabatur viuens pertinet*, & tradunt in puncto *Abb. Panorm. in cap. nos instituta de Sepult.* ibi = *Tertiam partem iudicij sui illi Ecclesiæ præcipit dari, in quas quis sepelliri debebat*, & melius *in cap. de his num.1.* pariter *de Sepult.* ibi = *Canonica portio debet exhiberi illis Ecclesijs, à quibus seppelliri debebant & Caren. resol.80. unm.2.*, vnde si Ecclesia Tituli nec potest ministrare Sacramenta Cardinali, quæ subministrantur à Parochia, nec pariter suscipit aliqua emolumenta, quæ debentur Parochiæ, corruit in Titulo ass. Ius Funeris, quod pendet ab Administratione Sacramentotum, & solutione quartæ.

Huius motiui efficacia in contraria Decisione exprobatur tamquam nimis probans, vt in §. *Nullius pariter*; sed talis responsio nullo modo satisfacit; nec subsistit, quod attenta hac ratione generalissima non suffragaretur amplius neque electio, neque habere sepulhcrum Maiorum; nos quippe non sumus in casu electionis, seù Sepulcri Maiorum, inquibus casibus adhuc argumentum deductum à pertinentia quartæ probaret Ius Parochiæ in defectu electionis, & Sepulcri Maiorum; sed sumus in casu Sepulturæ prætensæ ex speciali Titulo, prout est ille qualitatis Episcopi, qui si eliget Sepulturam extrà Cathedralem; illi tamèn debet prestare quartam, ex ea ratione quod non electa sepultura ibidem debuerat tumulari, *Marchet. de Sepul. in voto impresso tit. 38. §. 2. sub num.68. ad §. 3.*, ideoque vt procedamus semper cum eadem illatione, si Titulus representat Cathedralem respectu Titularis, & exindè habet Ius Sepulturæ, vtique dum eligunt Cardinales Sepulturam extrà Titulum deberent illi adhuc soluere quartam,

prout

prout soluit Episcopus, & tamen soluunt Parochiæ non autem Titulo; ex quo oritur, quod non electa Sepultura debuerat tumulari in Parochia, non autèm in Titulo.

Rursùs Parochiale ius roboratur a maiori, quippe ipse met Summus Pontifex, qui de consuetudine sepellitur in Ecclesia Vaticana, proprio facto tuetur iura Parocchiæ, dum eidem nè dum soluit quartam, verum etiam committit cerebrum, cor, aliaque præcordia, vt comprobat ocularis euidentia in Ecclesia SS. Vincentij, & Anastasij, ex qua sane tumulatione emergit primarium ius Parocchiæ tumulandi Cadauer, quatenus non inoleuerit consuetudo illud alibi sepelliendi, quam tamen consuetudinem noluerunt Summi Pontifices Parocchię præiudicare; dum ipsi dimittunt prænarrata præcordia quæ tamquam nobilior corporis pars à Phisicis comendantur ad late tradita *per Isbrand. Diemerbroeck in Anatom. Corpor. human. ljb. 2. cap. 6. §. 2.*

Denique non rite Statutum Cleri Romani retorquetur contrà Parocchiam, quando est illi fauorabile, nec illius dispositio debet dimidiari, sed tota, & integra exponi, inquit etenim sub §. *6. cap.* 4. Cadauera extrà limites Parochię, in qua obierunt absque eiusdem Parochi licentia in depositum non ponantur Cardinalium Cadaueribus exceptis, *quæ ob exequiarum comodiorem vsum in Ecclesijs vicinis amplioribus deponi semper consueuerunt, quo tamen casu residuum Torciarum, quod supererit cum ad sepelliendum defertur inter eamdem Ecclesiam, & proprium Parochum non immerito diuidi posse videtur.*

Statutũ inquam est litterale fauore Parochiæ, quia decernit neminem posse deponi extrà limites Parochiæ, in qua decessit; & licet excipiat Cardinales, non tamen eos excipit, quia debeant deponi in Titulo, sed quia consueuit eos deponere in Ecclesia *vicina ampliori ob exequiarum comodiorem vsum*; quippe statuentes habuerunt respectum ad pompam funebrem, quæ prout in nonnullis Titulis ità pariter in aliquibus Parochijs ob loci angustiam non potest expleri, & tali casu voluerunt fieri exequias in alia Ecclesia, *sed vicina Parocchiæ*, & inter vtramque diuidi emolumenta funeneralia; ideoque est incontrouertibile, quod Titulus nullum habeat Ius funeris, quod expleri debet, vel in Parochia, quatenùs sit comoda, *vel in alia vicina Ecclesia* quatenùs Parochia ad pompam sit inepta.

Non obstante, quod idem Statutum disponens de Familiaribus Cardinalium in §. 21. nullum verbum fecerit de eisdem Cardinalibus vnde arguitur, quod statuentes calluerint illos non posse alibi sepelliri, quam in Ecclasia Titulari; occurrit quippe satis clara responsio, quod si fuerat de ipsis met Cardinalibus in §. *6.* dispositum, superfluum erat iterum de illis disponere, & propterea argumentum detegitur prorsus incongruum.

Constito itaque, quod tam ex Iuris dispositione, quam ex peculari obser-

obseruantia; ac demum lege statuti Ius omne assistat Parochiæ; confidimus Illustrissimos PP. in contrariam sententiam iturus, cum ad expetitum effectum exhuberet reddere dubiam partis exceptionem in puncto *Anchar. cons.*214. *Tusch. lit.S. conc.*184.*n.*8., *Sperel.dec.*88.*n.*11.

Quare &c.

Vincentius Annibaldus.

R. P. D.

P R I O L O


Romana Iuris Tumulandi.

P R O

Ven. Ecclesia Parocchiali S. Andreæ de Frattis.

C O N T R A

Ven. Ecclesiam Titularem S. Mariæ ad Montes.



Noua Facti.

ROMÆ, Typis Reu. Cam. Apost. 1703.
Superiorum permissu.